

Cambridge University Press
978-1-108-01560-8 - Adversaria
Richard Porson
Excerpt
[More information](#)

P RÆLECTIO
IN
E U R I P I D E M
R E C I T A T A
I N S C H O L I S P U B L I C I S C A N T A B R I G I A E
M D C C X C I I .
G RÆC ARUM LITERARUM PROFESSIONIS
A D E U N D Æ C A U S A .

P R A E L E C T I O
IN
E U R I P I D E M.

—
DIGNISSIME Domine, Domine Procancellarie, ceterique doctissimi Electores;

Cum hujus sive honoris sive officii ratio postulet, ut candidatus aliquid quod ad Græcum quendam scriptorem illustrandum pertineat, in his scholis publice prælegat, vos mihi hodie Euripidem, de quo verba facerem, dedistis. Uberrimam sane materiam, et omni vel optimorum ingeniorum studio ac contentione dignissimam! Sed quanto est dignior uberiorque materia, tanto impensius nobis verendum est, ne eam parum feliciter nec pro rei majestate tractemus. Et cum soleam ipse, quo minus ingenio possum, eo majus diligentia subsidium mihi comparare, hoc mihi adjumentum angustiæ temporis, quibus nunc necessario conclusus sum, denegarunt. Sed quod prima fronte per mihi incommodum accidisse visum erat, attentius rem insipienti

B

4

P RÆLECTIO

minus jam minusque solicitudinis mihi afferebat. **Q**ui-cunque enim Professorii hujus muneric candidatus prodire audet, is literarum simul humaniorum aliquem gustum, aliquam scientiam atque experientiam sibi arrogare videtur. Si igitur plus spatii ad cogitandum sumsissem, magnam fortasse adversariam contra me paratam haberem expectationem; quam vincere aut æquare omnino desperassem; quam denique opimus esset effugere triumphus. Nunc autem, cum extemporali pene oratione mihi utendum sit, vos, Electores dignissimi, quæ est vestra æquitas, haud sane expectabitis, ut materiae tali vel rebus vel verbis a me satisfiat. Nihil igitur proferam, quod vobis, ne quod æqualibus quidem meis, novum, doctum, reconditum, exquisitum videri debeat: sin autem oratio mea vobis non omnino displicuerit, si tironibus forte circumstantibus tantillum arriserit, id equidem serio sum triumphaturus. Redeat ergo ad propositum suum disputatio nostra.

In Euripidem quisquis scripturus aut dicturus est, materiae tanta abundat copia, labori faber ut desit, non fabro labor. Sed cum intra quosdam veluti cancellos hujus orationis modulum contineri oporteat, commodissimum mihi visum est, postquam strictim et breviter de generalibus Euripidearum tragœdiarum vitiis et virtutibus disputavero, paullo liberius in examinanda prima fabula, quæ Hecuba nominatur, excurrere.

Eo tempore, eo loco floruit Euripides, quo nihil ei, qui ingenium modo felix a natura accepisset, ad summam liberalium artium culturam deesse posset. In Athenis enim natus est et educatus, in ea videlicet urbe, quæ sola fuit ex antiquis Græciæ civitatibus posteriorum seculis elegantiae omnis, philosophiæ, et poeseos magistra. Eo fere tempore, tragœdiam jam Æschylus

IN EURIPIDEM.

5

a pristinis Thespiacorum plaustrorum sordibus purgarat, personaque et palla honesta induerat; tragœdiam sibi ab Æschylo per manus traditam novis ornamentis adeo expoliverat atque excoluerat Sophocles, ut nulla amplius de scenica poesi bene merendi facultas superesse videatur. Sed Euripides animum a teneris, quod aiunt, unguiculis philosophiæ et eloquentiæ præceptis imbutus, eloquentia sua ad honores reipublicæ adipiscendos abuti nolebat; philosophiam suam ad evelendos hominum animis nimis alte infixos errores, magistri sui Anaxagoræ casu deterritus, exercere non audebat. Ne tamen vitam suam inglorio transiret silentio, utque eloquentiam suam atque philosophiam, in quantum res pateretur, ad humanam utilitatem traduceret, ad tragœdias scribendas animum appulit, tanta diligentia, tanto successu, ut dubiam Sophocli ipsi, multorum certe sententia, palmam fecerit. Theatri præsidio fretus, ejusque quasi sub clypeo tectus et munitus, quæ palam eloqui ipsi parum tutum foret, civium animis furtim instillabat. Falsas hominum religiones, magna seculorum veneratione consecratas, atque ipsa vetustate roboratas, quas aperte oppugnare nefas existimaturos esse cives bene prævidebat, eas tecte sub persona aliena convellere aggrediebatur. Neque ceteris magis præjudiciis pepercit, quibus plerosque mortalium passim onustos videbat “Errare, atque viam palantes querere vitæ.” Quamvis vero non omnino honore et fama apud cives suos caruerit, vulgus tamen eum, dum vixit, haud prolixissimo est favore prosecutus. Ploravit scilicet et Euripides favorem speratum non respondere meritis suis; adeo ut ex septuaginta, quas docuit, forsan et pluribus, fabulis quindecim tantummodo victorias reportarit. Sed quanto injustius a populo, cum Tragediæ suæ in certamen committe-

6

P RÆLECTIO

rentur, neglectus fuit, tanto impensius ab iis, qui judicio paullo plus valebant, quibusque poesis et sapientia cordi erant, colebatur. Instar omnium esto Socrates, qui cum paucis esset annis minor Euripide, eum in magistri prope loco habebat; et ceteris fere poetis neglectis, fabularum Euripidearum constans et attentus spectator sedebat. Sed Euripides posterorum æquiora judicia quam suæ ætatis expertus est. Qua in re mira quædam inter eum et diligentissimum ejus imitatorem, Menandrum, intercedit similitudo. Menandro enim, teste Quintiliano, pravis ætatis suæ suffragiis sæpe prælatus est Philemon. Sed iniquam istam judicium suorum sententiam adeo nihili faciebat Menander, ut aliquando æmulum suum post ejus victoriam forte obvium interrogaret, Nonne te pudet, inquit, Philemon, me in comœdia vincere? Narrat Ælianus Euripidem, cum Andromedam doceret, aliasque duas tragœdias, a Xenocle nescio quo superatum esse. Hoc judicio vehementer, ut par erat, irascitur Ælianus, et judices aut indoctissimos esse, aut pretio corruptos, jure pronunciat. Sed Euripides unanimi omnium posterorum sententia inter principes saltem Tragicorum poetarum merito suo relatus est; et si vel inferiorem eum Æschyllo et Sophocle esse largiamur, non exigua gloriæ pars fuerit cum talibus tantisque adversariis contendisse.

Verum enimvero, ut quod sentio, libere fatear, qui Æschylum Sophocli et Euripidi præferunt, errore ignoscendo quidem, sed errore tamen, ut mihi videtur, labuntur. Excusari autem facile possunt, propterea quod error eorum ex grati animi et amoris erga tragœdiæ patrem abundantia proficiscitur. Grandiloquam, sed rudem majestatem præ se ferunt omnes Æschyli tragœdiæ; et si cujusvis dramatis totum spectabimus,

IN EURIPIDEM.

7

aliquid semper ad summum perfectionis apicem deesse comperiemus. Ita nempe natura comparati sumus, ut eorum, qui præclari alicujus inventi auctores extiterunt, honesto præjudicio virtutes in majus augeamus; vitia vel prætervideamus, vel excusemus, vel defendamus. Veris eorum meritis multa condonamus; sed maximum fere meritum est, facem aliis ad artem suam tanto opere illustrandam præluxisse. Ob hoc solum dignus esset immortalitate Æschylus, quod Sophoclem et Euripidem ad perfectissima Tragicæ Camenæ exemplaria efformanda excitaverit. Neque enim hi sine illo tanti scenicæ Poeseos auctores unquam evasissent. In comparationibus hujusmodi instituendis semper meminerimus, quis cui temporis ordine præcesserit. Major Poeta esse potuit Æschylus; sed meliores fabulas docuere Sophocles et Euripides. Satis superque gloriæ est isti, Tragœdiæ patrem ac principem vocari; quam tamen gloriam insigni modestia cumulavit, cum in sepulcro suo nonnisi Marathoniæ pugnæ se adfuisse, ibique fortiter se gessisse, commemorare voluit.

Cum æquitatis et humanitatis lex, ut ingenuo pudore per quos profecerit, quisque profiteatur, præcipiat, Sophocles Æschylum summa reverentia semper colebat, gloriamque suam illi acceptam referebat. Euripides vero ingrati in magistrum et ducem suum animi crimine absolvi nequit. Sæpius enim in tragœdiis suis Æschyli imperitiam oblique et invidiose perstringit. Æschylus, cum eam fabulam, cui Septem contra Thebas titulum fecit, scribebat, in septem Thebanorum ducum, quos Eteocles totidem Argivis dueibus pares designaret, descriptione maxime elaboravit. Hunc locum, cum imitari se posse non speraret Euripides, frigido joco in Phœnissis irridet. Sunt et alia loca, in quibus Æschyli famam

8

PRÆLECTIO

maligno dente arrodit. Sed hæc missa faciamus, et ad id quod potius nunc instat, convertamur. Adeo verum est, quod olim cecinit Hesiodus: non solum figulum figulo, et fabrum fabro, sed poetam poetæ invidere.

Cautius agendum est, et difficilius discrimen subeundum, si Sophoclem et Euripidem inter se comparare velimus. Uterque enim propriis virtutibus elucet, et si qua vitia Euripides habet, quibus alter caret, magnis ea bonis redimit. Sophocles nullam scenam, nullam personam inducit, quæ non ad dramatis œconomiam pertineat. Chorus ejus nihil intercinit, quod non, secundum Horatii præceptum, proposito conducat, et apte cohæreat. Heroas suos, ut pietatis et justitiæ amantes, imitandos proponit, aut secus sentientes merito supplicio affecit. Interim fatendum est, Euripidem contra has regulas non raro peccare. Episodia ad fabulæ argumentum vix ac ne vix quidem facientia assuit; choro cantica prorsus a re præsenti aliena frequenter tribuit; multas impias atque improbas personis suis sententias dictat; denique, quod non parvam voluptatis partem, quam spectator aut lector capere debebat, intercipit, ita clare omnia, quæ deinceps eventura sint, in prologo enarrat, ut spes et metus, si non omnino tollantur, magna saltem ex parte minuantur. Quædam tamen in his sunt, quæ facilem excusationem admittant. Quod enim singula, quæ in fabulæ progressu accident, prædictit, studio perspicuitatis tribuendum est. Neque a verisimilitudine abhorret, alios ejusdem seculi tragicos, propter hujusmodi defectum, parum ab auditoribus intellectos aliquando fuisse; et hoc incommodum metuentem Euripidem, in alteram partem potius peccasse, et nimium claritati dedisse. Cogitate enim et de industria, consilio non casu, hoc eum factitasse manifestum

IN EURIPIDEM.

9

est; quippe qui nullam unquam fabulam sine hujusmodi prologo ediderit. Et licet a Comicis ob hoc ipsum derideretur, instituto suo ita pertinaciter adhaerbat, ut avelli nequiverit. Hoc vitium Aristophanes, qui Euripidi carpendo semper invigilat, nullamque ejus exagitandi occasionem prætermittit, his verbis tangit. Euripides cum Æschylo de Tragœdiæ principatu decertans, de inventisque suis tragœdiæque scribendæ peritia glorians, ita de prologis loquitur: (*Ran.* 945.)

Εἰτ' οὐκ ἐλήρουν ὅτι τύχοιμ' οὐδὲ ἐμπεσὼν ἔφυρον,
 Ἄλλ' οὐξιῶν πρώτιστα μέν μοι τὸ γένος εἶπεν εὐθὺς
 Τοῦ δράματος.

Sed Tragicus a more suo et consuetudine Comicorum risu abduci noluit.

Dixi paullo ante, nullam Euripidis tragœdiam sine Prologo editam fuisse. Quod cum dicebam, non eram nescius, objectionem esse paratam; sed quæ paratam quoque et expeditam habeat responcionem. Objici nempe potest, duo saltem ex novendecim superstibibus Euripidis dramatibus prologo carere; et plura adeo ex pluribus deperditis carere potuisse. Sed huic argumento respondemus primo, Rhesum, quæ altera est exceptionum duarum, Euripidi jam ab omnibus fere criticis esse abjudicatum; et hanc sententiam ad summum probabilitatis gradum perduxisse cum alios viros doctos, tum nuper Hardionum et Valckenaerium. Alterum drama quod prologo caret, est Iphigenia in Aulide; cuius sane initium, ut hodie editum est, auditorem, more Sophocleo, in medias res abripit. Sed neque hic deest quod regeramus. Cum enim Ælianus tres versus ex hac fabula citaverit, qui in dramate nostro, prout nunc habetur, nusquam comparent; cumque hi tres versus

c

10

PRAELECTIO

Dianæ totam tragœdiæ constitutionem exponenti ap-
 tissime congruant; quis dubitet, prologum hujus quo-
 que olim fuisse dramatis, sed injuria temporis jamdudum
 periisse? Ex deperditis fabulis multarum initia con-
 servata habemus; unde patet, morem hunc ubique et
 constanter tenuisse Euripidem: multarum initia solus
 conservavit Aristophanes; ubi Æschylum inducit Euripi-
 deos prologos examinantem. Hinc, opinor, plane
 constat, non temere, sed certo judicio hoc quicquid est
 peccati sive erroris in se admisisse poetam. Semel in
 iis fabulis quæ supersunt, Sophocles a consuetudine sua
 ad rivalis morem deflexisse videtur; non enim absimile
 est initium Trachiniarum prologo Euripideo, si quem
 ex minime vitiosis seligamus.

At vero alia sunt, in quibus Euripides palmam a
 Sophocle auferre merito judicetur. Sermo ejus nativa
 simplicitate plurimum commendatur; quanquam non in-
 ficias iverim eum, dum verbis e medio sumtis perpetuo
 utitur, ad humile et abjectum dicendi genus proprius
 nonnunquam accedere. Sophocles autem, dum vul-
 garem loquendi usum et formulas plebeias vitare studet,
 paullo proclivior est ad duras metaphoras, contortas ver-
 borum inversiones, et si qua sunt similia; quæ faciunt,
 ut obscurior, quam par erat, subinde evadat oratio.
 Cum Euripidem legimus, delectamur, et animi affectibus
 indulgemus; cum Sophoclem tractamus, severam pro-
 fecto operam literis navare videmur. Chori denique
 Sophoclei, licet Æschyleis longe intellectu faciliores,
 plurimum tamen obscuritatis habent.

Vitium aliud Euripidis, sed dulce vitium est, quod
 sapientiam suam intempestive ostentat, et nutrices atque
 servos ex intimis philosophiæ adytis oracula fundentes
 inducit. Hoc fugere non poterat Nostri perpetuum

IN EURIPIDEM.

11

censorem Aristophanem, qui propterea eum in Ranis sic exagitat: vix opus est ut vos moneam, Viri doctissimi, Euripidem ipsum a Comico loquentem fingi; (v. 948.)

*"Ἐπειτ' ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν, οὐδὲν παρῆκ' ἀν ἀργόν·
 Ἄλλ' ἔλεγεν ή γυνή τε μοι χώ δοῦλος οὐδὲν ἥττον,
 χώ δεσπότης, χή παρθένος, χή γραῦς ἄν.*

Cui respondens Æschylus subjicit,

εἶτα δῆτα

Οὐκ ἀποθανεῖν σε ταῦτ' ἔχρην τολμῶντα;

Regerit Euripides, quod forsitan ad res, quæ hodie geruntur, detorquere quis posset,

μὰ τὸν Ἀπόλλω,

Δημοκρατικὸν γάρ αὐτ' ἔδρων.

Fatendum est, hoc, si modo quid fabulæ constitutio et personarum proprietates flagitent, spectemus, magnum esse vitium; vitium tamen, quod cum aliquo saltem commodo lectoris et voluptate conjunctum sit. Et quicquid in hac re peccavit Euripides, sciens et prudens peccavit. Quod autem minus ampullarum et sesquipedalium verborum Euripides adhibet quam Sophocles, in eo, ut mihi videtur, facile excusari, imo defendi potest. Certe proprius hoc modo ad naturæ normam et veræ vitæ consuetudinem acceditur. Si cogitatione fingere possemus dicendi quoddam genus ex utroque poeta æquabiliter fusum et conflatum; quod nihil ex Euripide humile, nihil ex Sophocle durum retineret; haberemus forte, quod maxime ad perfectum Tragœdiæ stilum appropinquaret. Interea non diffiteor, majorem me quidem voluptatem ex Euripidis nativa venustate